

rum, sed intellectum proprium, respectu cuius immobiliter representat omnes creaturas posibles: & cum visio beatifica specificetur a forma, quæ se tenet ex parte principij, inde est, quod nec visiones beatificæ debent distingui specificè. At species angelicæ sunt determinatæ ad intellectum in quo sunt, & ad representandas has naturas inferiores, & non alias; & his de causis debent specificè distingui, estò natura per se primò representata non distinguitur in esse rei.

§. III.

Alia argumenta Scoti.

79 **A**rguitur secundò: Nam si species angelica esset uniuersalis, posset dari species creata simpliciter infinita: nam posset dari species creata representans infinitas naturas specificas & individuales; sed species representans infinitas naturas specificas & individuales esset simpliciter infinita: ergo posset dari species creata simpliciter infinita. Maior videtur certa: quia non est maior ratio vnius quam alterius. Minor verò probatur: Nam ubi pluralitas obiectorum requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem; sicut si portare simul plura pondera concludit maiorem virtutem; & posse simul portare infinita pondera concludere debet infinitam virtutem; sed representare plures quidditates concludit maiorem perfectionem quam representare tantam vnã: ergo representare infinitas quidditates concludit infinitam perfectionem.

Explicatur: Species representans decem quidditates haberet perfectionem vt decem diuisam in tot speciebus singulas illas decem representantibus; & species representans viginti haberet perfectionem duplo maiorem in tot speciebus singulas illas representantibus: ergo species representans infinitas contineret perfectionem simpliciter infinitam. Probatur consequentia: quia in hac calculatione semper ascenditur secundum gradum determinatæ perfectionis: ergo si devenitur ad speciem infinitas naturas representantem, debet etiam perueniri ad speciem infinitos gradus perfectionis continentem.

80 Ad hoc argumentum respondetur, negando sequelam. Cuius probatio claudicat in maiori: quia imprimis species, quas habent Angeli nunc existentes, non representant nisi naturas specificas & individuales, quæ sunt partes huius uniuersi, vel quæ continentur in causis naturalibus pertinentibus ad hoc uniuersum; quæ nequeunt esse simpliciter infinitæ. Deinde estò possint creati Angeli se excedentes in perfectione specificâ vsque in infinitum, adhuc non posset dari species representans omnes naturas specificas & individuales contentas sub genere

animalis & sub omnipotentia diuina: nam sicut hæc nequit omnes eas producere cathogorematicè, ita non potest dari species, quæ omnes illas representet. Iuxta quod potest optimè saluari inæqualitas in uniuersalitate specierum iuxta inæqualitatem Angelorum. Sed quia defectò datur species in Angelo inferiori, qui est immediatè sub supremo, representans omnes naturas, quæ sunt partes huius uniuersi, & continentur sub natura animalis, cum multitudo Angelorum longè excedat multitudinem specierum contentarum sub hoc uniuerso, & non solum sub genere animalis, sed etiam cuiusvis alterius naturæ genericæ; explicandum venit, quomodo saluetur maior uniuersalitas in Angelo supremo supra Angelum immediatè inferiorem.

Ad quod duplici via occurri potest. Primò enim dici potest, quòd species existens in Angelo in eorum, præter naturas specificas contentas sub genere animalis & pertinentes ad hoc uniuersum, vel non representat vllum Angelum, vel representat alios Angelos in minori multitudine, quam species Angeli superioris. Secundo dici potest, quòd, non obstant uniuersalitate specierum, potest contingere, quòd aliqua species in particulari existens in Angelo inferiori sit æque uniuersalis, ac species existens in Angelo superiori, dummodò collectio omnium specierum existentium in Angelo superiori sit uniuersalior, quam collectio specierum existentium in Angelo inferiori: quia uniuersalitas, sicut & perfectio specificæ non tam penultima est ex parte cuiuscumque speciei singularem acceptæ, aut cuiuscumque actus in particulari, quam ex parte totius collectionis specierum & actuum. Quod mille exemplis explicari valet, quæ omitimus breuitatis causa.

81 Deinde probatio maioris primi syllogismi claudicat in minori: Nam ex eo quòd species representet infinitas naturas specificè distinctas, non sequitur esse infinitam, cum contineantur sub determinato genere. Sicut species Christi representat infinita individua eiusdem speciei, & non propterea est simpliciter infinita, vt optimè tradit D. Thomas 3. part. quest. 10. art. 3. Et ratio est: quia maior uniuersalitas speciei non petit maiorem perfectionem arithmeticeam, sed tantam geometricam. Vnde solum infertur, quòd illa species esset specificè perfectior alijs speciebus inferioris ordinis est infinitis. Sicut ex eo quòd anima rationalis excedat specificè infinitas naturas specificas contentas sub genere animalis, non sequitur esse simpliciter infinitam. Neque ex eo, quòd visio beatificæ excedat in perfectione specificâ infinitas intel-

ationes inferiores, est simpliciter infinita.

* * * * *

§. IV.

Quoddam corollarium præcedentis doctrinæ.

82 **E**X dictis infertur primò, Angelos, per species uniuersales, intelligere non solum procedit contra Scotistas, sed etiam contra nonnullos Thomistas, nempe Ferrarum, Bañez, & alios, quatenus aiunt, hanc maiorem uniuersalitate non dari iuxta differentiam specificam Angelorum, sed tantum iuxta diuersitatem triplicis hierarchiæ.

Sed corollarium hoc perpetuò tradit D. Thomas, vt videri potest locis relatis a N. Salm. in præf. a num. 79. Et ratio est ad eò uniuersalis, vt non solum ostendat hanc maiorem uniuersalitate secundum differentiam à prædictis Authoribus assignatam, sed etiam secundum differentiam specificam Angelorum. Nam cum omnes intellectus angelici sint specificè distincti, non esset caput, à quo hæc distinctio venienda esset, nisi à capacitate recipiendi diuersas formas intelligibiles: quia, vt supra vidimus, maior claritas non sufficit ad ostendendam distinctionem specificam, cum species Christi anime representent sua obiecta cum maiori claritate, quam species anime separate; & tamen omnes sunt eiusdem speciei, proportionè seruata.

83 Sed obijcies primò, cum D. Thomas 1. part. quest. 108. art. 1. ubi ait: *Dictum est enim supra, dum de cognitione Angelorum ageretur, quod superiores Angeli habent uniuersaliorem cognitionem, quam alij: huiusmodi autem uniuersalis acceptio cognitionis secundum tres gradus in Angelis distingui potest*: ergo secundum D. Thomam non datur, nisi triplex gradus specierum uniuersalium.

Ad hanc autoritatem optimè respondet Ferre, D. Thomam non loqui ibi de medio intrinseco ipsius cognitionis, quale est species, sed de extrinseco, quatenus Angeli primæ & supræ hierarchiæ intelligunt obiecta creata prout dependentia ab uniuersalissima causa, quæ est Deus; Angeli mediæ hierarchiæ intelligunt eadem obiecta vt dependentia à causis creatis uniuersalioribus: & tandem Angeli tertix & intimæ vt dependentia à causis particularibus & minus uniuersalibus: quæ diuersitas non est penultima ex veritate nature, sed ex providentia diuina, quæ disposuit, quòd Angeli illius triplicis hierarchiæ attingerent omnes res creatas per illud triplex medium iam declaratum. Cum quo optimè componitur, quòd si considerentur per ordinem ad species uniuersales, tot sint gradus cognitionum, quot specierum; & tot gradus specierum, quot gradus Angelorum.

84 Obijcies secundò cum Scoto: Nam si

Angeli, quòd sunt perfectiores in esse specificò, intelligerent per uniuersaliores species, posset creati Angelus, qui omnia intelligeret per suam substantiam; sed oppositum conflat ex dictis dub. 1. ergo. Maior probatur: Supponamus, Angelum superentem ad aliquem, qui omnia intelligeret per vnã, ac per consequens per suam substantiam.

Responderetur, quòd estò Angelus nunc superius non intelligeret omnia, nisi per duas species, aliam substantialem, & alteram accidentalem; adhuc hæc duo saluarentur, & quòd Angelus eò superior, qui potest produci, intelligeret per uniuersaliores species, & quòd non intelligeret omnia per suam substantiam. Et ratio est: quia Angelus nunc superius cognoscit se per vnã speciem, & alia inferiora per aliam, sed ad cognoscendum Angelum illum superiorem possibilem indigeret alia tertia specie, quæ de nouo ei infunderetur à Deo in illa hypothesi, quia nullus Angelus potest cognoscere sibi superiorem per speciem representantem ipsum & alia inferiora. At Angelus superior supremo nunc existenti, cognosceret se per suam substantiam, quod est commune omnibus Angelis, & alia specie accidentali non solum omnia, quæ sunt inferiora Angelo supremo nunc existenti, sed etiam ipsum Angelum supremum nunc existentem. Vnde aperte sequitur, & quòd nullus Angelus sit possibilis, qui intelligat omnia per suam substantiam, & quòd Angelus superior Angelo supremo nunc existenti intelligeret per uniuersaliores species.

85 Sed dices, iuxta hanc solutionem iam nos incidere in sententiam Scoti: cum in Angelo infimo concedere tenemur maximam multitudinem specierum, quarum vnazque sit adaptata suo obiecto in particulari, & careat uniuersalitate. Respondetur, negando assumptum: nam hoc concessio, adhuc non convenimus in puncto principali cum Scoto: Quia ille absolute distinctione negat uniuersalitate speciei, siue respectu superiorum, siue respectu inferiorum: Nos verò cum D. Thoma ita multiplicamus species ad multiplicationem superiorum, quòd simul concedamus uniuersalitate in speciebus representantibus inferiora. Nec mirum: nam essentia diuina non est uniuersalis respectu sui, estò sit uniuersalissima respectu inferiorum. Et in hoc est nos inter, & Scotum tota lis.

86 Infertur secundò, totam doctrinam hucusque traditam extendi debere ad species supernaturales, quid quid quidam Neothericus dicit. Ratio depromitur ex D. Thoma infra quest.

62. art. 2. Nam est natura non concurrat per modum dispositionis ad gratie dona, ut contra Pelagium tradunt Catholici in tract. de Auxilijs, nihilominus Deus ex sua liberalitate, & quia ita decebat, dedit illa dona iuxta gradum naturalium: ergo idem dicendum est de speciebus. *Maximè*: Quia universalitas fundatur immediate supra immaterialitatem, ut supra diximus; hæc autem oritur dicitur a subiecto: & ideo dicitur D. Thomas, modum cognoscendi scientiæ infusæ Christi Domini esse iuxta proportionem anime nostre, ex qua ratione deducitur, species eius esse minus universales quam angelicas: ergo Angelus superior etiam in supernaturalibus debet intelligere per species universales, quam Angelus inferior. *Adde*: Quia est scientia supernaturalis non admittat distinctionem in homine & Angelo: adnititur tamen maiorem & minorem intentionem, sicut contingit in scientia beata: ergo dummodo aliqua ratio specialis aliunde non detur, ut data fuit in Christo, iuxta infra dicenda, non erit, cur species huic scientiæ deservientes non habeant hunc excessum; & cum hic excessus nequeat explicari in intentione tantum, quantum in multitudine obiectorum, manet, quod vna species possit, & debeat habere maiorem universalitatem quam alia. Iam sic; sed inter Angelos præditos hac scientia infusa non est specialis ratio, quare perfectiores in natura & in scientia infusa, non habeant hanc maiorem universalitatem specierum: ergo defecto illam habent.

87. Sed obijcies *primò*: Nam ex hac doctrina sequitur, species supernaturales angelicas esse perfectiores speciebus Christi Domini, cum sint universales; sed hoc est falsum & contra N. Salm. tract. 2. r. disp. 2. n. num. 14. ergo.

Obijcies *secundò*: Nam sequitur etiam, species supernaturales Angeli, & Christi distinguere specificè, ut ex se constat: ergo etiam cognitiones: patet consequentia, nam cognitiones distinguuntur per principia; sed hoc est falsum, aliàs scientia infusa in Christo distingueretur specie à scientia infusa Angelorum: ergo species supernaturales Angeli non sunt universales, quam species Christi, nec species vnius Angeli, quam species alterius.

Ad primam objectionem respondetur, negando sequelam: Quia optimè stat, species angelicas excedere in universalitate species supernaturales Christi Domini; & istas esse illis absolute & simpliciter perfectiores, propter rationes à nobis tradendas tract. de Scientia Christi disp. 4. dub. 3. ubi omnino videnda sunt.

Ad secundam respondetur, concedendo sequelam. Ex qua tantum potest inferri, quod quælibet cognitio omnino adæquata cum specie in Christo sit distincta specificè à cognitione Angeli adæquata insuper cum sua specie; secus verò si ex pluribus speciebus Christi adæquata

tibus universalitatem speciei angelicæ, & ceteris paribus deturatur vnica & indivisibilis cognitio. Neque ex hoc inferitur, scientiam infusam in vtroque esse specie distinctam: nam aliunde sumitur vnitas vel distinctio scientiæ seu luminis, & aliunde vnitas & distinctio speciei: vnitas enim & distinctio scientiæ sumitur ex vnitate gratiæ seu visionis, à quibus dimanat; & aliunde actus adæquatus & obiectum adæquatum in vtroque secundum se est æquè universale, & hac ratione debet esse eisdem speciei in Angelo & Christo, quamvis in Christo habitus sit magis intensus, quam in Angelo. Ceterum species productæ sunt accommodatæ ad immaterialitatem vniuscuiusque naturæ, ex qua totaliter pendet maior aut minor universalitas illarum; & quia natura humana Christi Domini non est æquè immaterialis, ac natura angelica, non debuit (et si posset) eius species esse æquè universalis, ac angelica.

DUBIUM V.

An Angelus inferior comprehendat superiores?

88. Duplex est species comprehensio: nis intellectualis iuxta analogiam corporalis; alia, quæ coincidit præcise cum consecutione rei, iuxta illud Cant. 3. *Teneat eum, nec dimittat*. Unde quicumque cognoscit alium quidditative, comprehendit eum hac specie comprehensionis, quia tenet eum intellectualiter. Sed hæc acceptio comprehensionis est nimis lata; & nullus potest dubitare, Angelum inferiorem ita comprehendere superiorem. Alia, quæ est propria & stricta, consistit in eo, quod obiectum ita cognoscatur, quod nihil sit in eo cognoscibile, quod clarè & distinctè ab ea non cognoscatur. Cuius descriptionem detumpsumus non solum à factoribus nostræ sententiæ, quos infra referemus, sed etiam ab Adversarijs (Quod notare oportet in limine huius controversiæ, ne lis nostra sit tantum de voce) Et merito: quia eam ita descripsit Magn. Patens August. ep. 112. per hæc verba: *Totum illum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici vel circumferri possunt*. Et in lib. de Civit. Dei, cap. 8. ait: *Quidquid scientia comprehenditur, scientia comprehensione finitur, quatenus nimirum nihil est in re sic cognita, quod sit extra cognitionem comprehendentis*. Hanc descriptionem adhuc expressius tradit D. Thomas quest. 20. de Veris, art. 5. ubi ait: *impossibile est, quod anima Christi sciat omnia, quæ Deus potest facere, sicut impossibile est, quod comprehendat virtutem divinam*. Tunc enim unaquæque res comprehenditur, quando eius definitio scitur, & definitio ipsa est virtus comprehendens rem, cuiuslibet autem

autem virtutis definitio sumitur ex his, ad quæ virtus se extendit, unde si anima Christi sciret omnia, ad quæ virtus Dei se extendit comprehendere omnino virtutem Dei. Vbi ad omnimodam & strictam comprehensionem non recurrit (ut voluit Adversarij) ad æqualem claritatem inter obiectum cognitum & intellectum cognoscentem. Idem tradit 3. p. q. 10. art. 2. ad 3. ubi hæc habet: *Horum autem quædam sunt in sola potentia divina; & huiusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima Christi*. Hoc enim esset comprehendere divinam virtutem, & per consequens essentiam divinam: virtus enim quælibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quæ potest. Et in hac 1. p. supra q. 12. art. 8. ait: *Nullus igitur intellectus creatus, videndo Deum, potest cognoscere omnia, quæ Deus facit, vel facere potest*. Hoc enim esset comprehendere eius virtutem. Unde certe falluntur aliqui, qui ad comprehensionem strictam prærequirunt, ut conditionem necessariam, æqualitatem omnimodam inter modum cognoscentis, & modum rei cognite; cum hæc nullatenus exprimitur à D. August. & D. Thoma. Et in hoc sensu procedit præsens dubium.

Pro quo supponendum est, Angelum hac stricta comprehensione comprehendere seipsum, & Angelum inferiorem: quia intellectus eius adæquat in substantia & modo eius intelligibilitatem, & superat intelligibilitatem inferioris. Unde solum vertimus in dubium, an Angelus inferior comprehendat superiorem? Circa quod adhuc est supponendum, nos non loqui de comprehensione, quæ attingat in Angelo superiori quidquid est cognoscibile in omni linea, sive pertineat ad lineam supernaturalem, sive ad omne id, quod petit principium supernaturale, ut sunt futura & cogitationes cordium, quia sermo tantum est de his, quæ naturalem cognitionem non superant.

His ita & necessario pro intelligentia questionis prælibatis: Circa hoc quæsitum duplex est principalis sententia, & vnaquæque illarum habet in triplici Schola suos Patronos. Prima est negativa, cuius Patroni ex Schola Thomistica sunt Caeter. Nazari, Zúnel, Serra, Lezana, Ferre, Godoy, Gonet, Serna, Carrasco, Bayona in suis Manuscriptis, quibus ex parte adheret Lisbonensis, quatenus asserit, Angelum inferiorem non comprehendere superiorem, nisi ad eum illuminetur: quæ sententia est valde communis inter modernos. Ex Schola Societatis Suarez, Quiros, Arriaga, & alij. Et ex Schola Scoti, plures, suppresso nomine, reituntur.

Secunda est affirmativa, cuius Patroni ex Schola Thomistica sunt Ferrara, Bañez, Victoria, Sotus, Araujo, Albelda, & N. Salm. in præf. disp. 6. dub. 3. & alij. Ex Schola Societatis Ripalda, Molina, Vazquez, ex supposito

ne quod ad comprehensionem non requiritur cognitio actus liberi. Et denique ex Schola dogmatica Delgado, & plures alij.

§. I.

Sententia nostra affirmativa.

89. Dicendum est, Angelum inferiorem comprehendere superiorem. Hæc conclusio videtur expressa D. Thomæ 2. Contra gentes, cap. 98. ubi docet: *Intellectus Angeli habet virtutem comprehendendi omnes species & differentias entis*. Quæ verò intelligi non possunt de comprehensione minus propria coincidentem cum cognitione præcise quidditative, cum ex comprehensione probet cognitionem quidditativam; & ita probet idem per idem.

Deinde probatur ratione: Angelus inferior vi sua naturali potest quidditative cognoscere omnia tam formalia, quam virtualia, quæ naturaliter sunt cognoscibilia in Angelo superiori: ergo potest naturaliter illum comprehendere. Consequens evidenter colligitur ex antecedenti, si vera sunt, quæ prælibavimus cum D. August. & D. Thoma in limine questionis, quæ omnino recolenda sunt. Antecedens verò probatur: nam essentia Angeli superioris, necnon omnes modi in ea formaliter existentes, & cuncta in ea eminenter contenta sunt obiecta proportionata virtuti Angeli inferioris: ergo, Antecedens probatur, quia omne ens naturale est obiectum proportionatum cuiuslibet intellectus Angeli, ut clarè deducitur ex D. Thoma in hac q. 55. art. 2. ubi ait: *Potentia intellectiva in substantijs spiritualibus, id est, Angelis, naturaliter completa est per species intelligibiles connaturales, in quantum habent species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda, quæ naturaliter cognoscere possunt*. Tum etiam: nam infra q. 84. art. 7. ait, quod Angelus ita est proprium obiectum intellectus angelici, sicut est quidditas materialis intellectus humani; sed hæc est obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu: ergo omnis substantia angelica est obiectum proportionatum cuiuslibet intellectus angelici. Tum denique: quia infra q. 106. art. 3. docet, quod Angelus inferior nequit illuminari à superiori de rebus naturalibus, & ad naturalem cognitionem spectantibus: ergo iuxta eius doctrinam Angelus superior, necnon omnia, quæ tam virtualiter quam formaliter continentur in eo, pertinent ad obiectum proportionatum intellectus Angeli inferioris.

90. Misis alijs solutionibus minoris momenti: Respondent iam communiter Adversarij, quod ad rigorosam comprehensionem non sufficit, quod obiectum attingatur, secundum

omnia formalia & virtualia illius, sed etiam requiritur, quod attingatur modo ita perfectio, quo petit naturaliter cognosci; ad quod requiritur, quod immaterialitas & intellectualitas cognoscens adqueat in perfectione specificam intelligibilitatem obiecti cognoscendi, ac proinde ad comprehensionem passivam Angelis superioris per Angelum inferiorem erat necessesse, quod Angelus inferior cognosceret modo tam perfecto, quo Angelus superior cognoscit seipsum; quod stare non potest propter excessum, specificum, quem habet Angelus superior supra Angelum inferiorem.

Sed hæc evasio preoccupata manet ex dictis in limine quest. ex D. August. & D. Thomas: Nam ex eo quod intellectus creatus cognosceret quidditative omnia tam formalia quam virtualia, que continentur in Deo, recte & ex vi forme probat D. Thomas in locis supra adductis, & cum eo Thomista, comprehendere Deum, quidquid sit de modo maioris perfectionis in cognoscibilitate seu intellectualitate obiecti, ergo pariformiter, est Angelus superior excedat aliquo modo in intelligibilitate & intellectualitate Angelum inferiorem, poterit hic illum comprehendere, comprehensione stricta, si scilicet cognoscit omnia tam formalia, quam virtualia illius.

91. Deinde refellitur: Christus per scientiam infusam comprehendit comprehensione stricta unionem hypostaticam, & scientiam beatam in communi sententia Adversariorum, non alia ratione nisi quia attingit quidquid tam formaliter quam virtualiter continetur in eis, est cognoscibilitas illorum, sicut & intellectualitas & entitas habent in seipsis modum maioris perfectionis: ergo licet Angelus superior excedat inferiorem in modo habendi intellectualitatem & intelligibilitatem, poterit hic comprehendere illum, dummodo hic excessus non impediat ad attingenda omnia formalia & virtualia, que continentur in eo.

Explicatur: Ad rigorosam comprehensionem alicuius obiecti sufficit, quod inter obiectum cognoscibile, & intellectum seu virtutem cognoscentem detur convenientia in immaterialitate formaliter sumpta seu quoad gradum, quin obstat aliquis excessus in immaterialitate materialiter sumpta seu in perfectione specifica, ut liquet in exemplis proximè adductis, sed Angelus inferior convenit cum Angelo superiori in eodem gradu immaterialitatis, cum hic sit obiectum proportionatum illius: ergo licet Angelus superior excedat in perfectione specifica Angelum inferiorem, poterit hic illum comprehendere. Videantur omnino, que dicimus tract. de Scientia Christi disp. 3. à num. 25. ubi enervata manent evasiones Adversariorum, & discernimur intentum ab illis inter rem, quam agimus, & exempla supra adducta.

Uterius refellitur prædicta solutio: Nam tunc obiectum strictè comprehenditur, quando nihil eius latet videntem, aut quando nihil est in obiecto cognito, quod sit extra cognitionem comprehendentis, quia tunc fines illius circumspiciuntur, vel circumferuntur; sed, dato quod Angelus inferior cognoscat omnia formalia & virtualia Angelis superioris, nihil est in obiecto cognito, quod sit extra cognitionem comprehendentis: quia adhuc maior ille modus cognoscendi, qui est in Angelo superiori, cognoscitur clarè & distinctè ab inferiori: ergo comprehendit illum strictè.

92. Tandem refellitur: Nam species existens in Angelo inferiori & representans superiorem, non solum quidditative, sed etiam comprehensive representat illum: ergo etiam Angelus inferior per eam comprehendit eum. Consequentia videtur certè bona: nam cum hæc species sit connaturalissima Angelo inferiori, & cum eo omnimode proportionata, poterit illa adequatè uti. Antecedens verò probatur: nam species, que est eiusdem immaterialitatis cum obiecto, nequit non illum representare comprehensive; sed species existens in Angelo inferiori representans superiorem est eiusdem immaterialitatis cum eo: ergo representat illum comprehensive. Maior, & minor simul probantur: nam huiusmodi species representat Angelum superiorem quidditative: ergo est eiusdem immaterialitatis cum eo, & representat illum comprehensive. Patet consequentia: nam non alia ratione repugnat species creata representans Deum quidditative, nisi quia est eiusdem immaterialitatis cum Deo, & esset comprehensive illius.

93. Explicatur hoc, & simul impugnat solutio communis Adversariorum, maxime Gonetii, asserentis, quod huiusmodi species non recipitur connaturaliter in Angelo inferiori, & quod secundum suum esse diminutum non est eiusdem proxius immaterialitatis cum Angelo superiori. Nam imprimis species existens in Angelo inferiori representans superiorem respicit aliquem intellectum connaturalissimè; sed non intellectum Angelis superioris, ut ex se constat, & non negabatur Adversarij: ergo oportet, quod connaturalissimè recipiatur in intellectu Angelis inferioris. Deinde Excessus, quem Angelus superior dicit supra entitatem speciei existentis in Angelo inferiori, non tollit, quod hæc adequatè illum in esse representativo & intelligibili: ergo est eiusdem proxius immaterialitatis cum illo in esse representativo seu intelligibili; quod sufficit ad strictam comprehensionem, ut ex se liquet. Probatur antecedens: tum, quia excessus, quem Angelus superior dicit supra entitatem speciei existentis in Angelo inferiori, non tollit, quod dux species existentis in Angelo inferiori & representantes

duos Angelos superiores se excedant in esse representativo specifico seu intelligibilitate specifica; ergo signum est, quod vnaquaque adequatè suum obiectum in esse representativo & intelligibili; alius mensura perfectionis earum non tam esset obiectum, quam intellectus. Tum etiam: nam species representans Angelum superiorem continet eadem prædicata formalia illius: ergo adequatè illum in esse representativo specifico.

94. Requiritur primò, unum Angelum alterum comprehendere est illi circumferbere; sed Angelus inferior nequit circumferbere vi sua naturali Angelum superiorem: ergo nequit illum comprehendere. Minor probatur: nam si vnus Angelus alterum circumferberet, requireretur omnino quod non sit maior intelligibilitas circumscripti, quam intellectualitas circumscriptibentis; ut constat ex circumscriptione locali, ad quam indispensabiliter requiritur, quod superficies corporis locati non excedat superficiem corporis locantis; sed intelligibilitas Angelis superioris est maior, quam intellectualitas inferioris. Patet minor: quia intelligibilitas illius omnino adequatur cum sua intellectualitate, cum vtraque dimanet ab eadem natura, in qua fundatur.

Hoc est præcipuum fundamentum & à priori Adversariorum: in cuius enodatione necessitas est aliquantum immorari, ut nervosius, quo possimus, eius vis frangatur. Pro quò notandum est primò cum Div. Thomas supra quest. 12. art. 4. quatuor esse gradus immaterialitatis in vna totidem gradus facultatum cognoscendum, & specierum. Primus est earum rerum, que ita habent esse in materia individuali, quod possint immutare potentiam sentitivam, que aliquo modo est elevata materia. Secundus est earum, que partim sunt in materia, & partim elevata ab illa, quatenus est sint in materia sensibili, possunt à conditionibus individualibus abstrahi: Et huic gradui correspondet intellectus noster pro hoc statu, qui etiam partim est in materia, coquod est actus animæ, que est forma corporis, à quo aliquo modo dependet in operando; & partim supra illam, quia est activè spiritualis. Tertius est earum rerum, que omnino sunt separata à materia physica, licet non à potentialitate: Et huic obiecto correspondet intellectus eodem modo separatus à materia cum potentialitate ad operandum. Quartus tandem est actus puri, in quo conveniunt omnia prædicata Dei sive primordialia, sive attributa: Et huic correspondet intellectus, qui etiam est actus purus. Ex quibus constat, om-

nes Angelos gaudere eodem gradu immaterialitatis.

Notandum est secundò, quod cum in Angelis non detur distinctio pure numerica, debet assignari intelligibilitas & intellectualitas formalis, que constituat gradum: in quo omnes Angeli conveniunt specificè: quia licet dividatur in plures intelligibilitates seu intellectualitates specificas; hoc tamen se habet de materialibus & per accidens: vnde in ratione gradus non solum est generica, sed etiam specifica, non admitrens diversitatem specificam plurius intellectus, dualitatum formalium. Sicut essentia divina, & attributa conveniunt in eodem gradu formalis quasi specifico intelligibilitatis & intellectualitatis, licet materialiter & quasi per accidens habeant aliquam diversitatem quasi specificam. Cæterum sicut ista diversitas materialis comparative ad gradum non obstat, ut essentia divina comprehendatur ab attributo sapientiæ, estò superet illud in immaterialitate de materialibus habitata; ita excessus, quem dicit Angelus superior supra inferiorem, non obstat ad comprehensionem, si conveniunt in illo tertio gradu immaterialitatis.

Hinc respondetur ad comprehensionem sufficere, quod comprehendens attingat omnia formalia & virtualia obiecti comprehensivi: quia eo ipso circumscriptur illud, ad quod de materialibus est aliquis excessus entitativus: sicut superficies locans vdequaque circumscriptens aliquod corpus, totaliter illud comprehendit, estò superficies locata sit materialiter perfectior, quam superficies locantis. Et hæc est mens D. August. ut ex eius verbis colligi potest: cui consonat Div. Thomas & dum locis supra relatis tantum exigit ad comprehensionem strictam, quod intellectus cognoscat omnia formalia & virtualia, que sunt in obiecto. Cui etiam favet exemplum sapientiæ divinæ. Vnde estò Angelus superior excedat Angelum inferiorem in intellectualitate & intelligibilitate materiali seu entitativa, hoc non debet obstat ad comprehensionem illius, si fecerit conveniunt in intelligibilitate & intellectualitate formalis, & Angelus inferior cognoscit omnia formalia & virtualia Angelis superioris.

95. Sed dices (& erit secundum argumentum) Ad comprehensionem strictam requiritur, quod modus cognoscens adqueat modum proprium ipsius obiecti, ad quod desideratur, quod conveniant in immaterialitate de materialibus; sed in hac Angelus inferior non adequat superiorem: ergo nequit illum comprehendere. Maior probatur pluribus testimonijs D. Thomæ, qui asserit, intellectum creatum non posse comprehendere Deum, estò possit omnia eius prædicata tam formalia, quam virtualia cognoscere, quia non cognosceret Deum modo perfectissimo, quo cognoscitur, & petit cognosci à seipso. Videatur omnino in hac 1. part. quest. 12. art. 7.

precipue ad 2. vbi pro hac explicacione adducit testimonium D. August. relatum in limine questionis. Idem tradit quest. 20. de Veris. art. 4. ad 5. vbi ait: *Dato etiam quod omnino sciret omnia, que sunt Verbum, non adequaretur numero scitorum quoad modum sciendi, quamvis esset equalis numerus utrobique.* Quid clarius? Idem tradit. part. quest. 10. art. 2. ad 3. vbi inquit: *Quantitas scientie non solum attenditur penes numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quamvis igitur scientia anime Christi, quam habet in Verbo, partifictur scientie visionis, quam Deus habet in seipso quantum ad numerum scibilium, scientia Dei excedit in infinitum quantum ad claritatem cognitionis.* In quibus locis ratione forme suadet D. Thomas incomprehensibilitatem Dei ab intellectu creato, quia non potest cognosci secundum modum perfectum, quo seipsum cognoscit, est cognosceretur secundum omnia formalia & virtualia illius: ergo si Angelus inferior non cognoscit Angelum superiorem cum tanta claritate, quanta petit a seipso cognosci, est cognoscat omnia formalia & virtualia illius, non debet illum comprehendere.

Hoc argumentum propositum est a nobis tract. de Scientia Christi disp. 2. num. 9. vbi eius solutio omnino videnda est. Nunc addimus, quod dato per impossibile, quod intellectus creatus videret omnia, que tam formaliter, quam virtualiter continentur in Deo, adhuc non comprehenderet Deum, bene vero Angelus inferior superiorem, supposito quod attingat omnia, que tam formaliter, quam virtualiter continentur in ipso. Ratio discriminis est: quia intellectus creatus non conveniret cum Deo in eodem gradu immaterialitatis, ut supponi debet, neque in claritate cognoscendi de formali petita. Maxime, quia ex impossibili sequitur quodlibet. At Angelus inferior naturaliter potest cognoscere omnia, que tam formaliter, quam virtualiter continentur in Angelo superiori; aliunde convenit cum eo in eodem gradu immaterialitatis, & in claritate illum cognoscendi de formali exacta, & Angelus superior tantum excedit inferiorem in modo cognoscendi quoad aliquem modum cognoscendi de materiali & peraccidens petitur; qui excessus non debet impedire ad rigorosam comprehensionem.

96 Arguitur tertio: Angelus inferior illuminatur de aliqua veritate naturali ab Angelo superiori: ergo nequit illum comprehendere. Consequentia est evidenter bona: ideo enim in nostra sententia quilibet Angelus est comprehensus totius entis naturalis, quia est completè & perfecte intellectus. Antecedens vero probatur ex D. Thoma infra quest. 106. art. 1. ad 2. vbi ait: *Vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen nature, gratie, & glorie; sed*

confortando lumen naturale ipsius, & manifestando ei veritatem de his, que pertinent ad statum nature, gratie, & glorie.

Et confirmatur cum D. Thoma 2. dist. 9. quest. 1. art. 7. ad 2. vbi ait: *Quod si Angeli haberent naturalia tantum, adhibe lumen unius excederet lumen alterius; & ita posset esse aliqua illuminatio & perfectio.* Ex quibus verbis formatur argumentum. Data ista hypothesi, que est possibilis, Angelus superior posset illuminare inferiorem; sed non circa supernaturalia: ergo circa naturalia; sed eodem modo discurrendum est de lumine naturali nunc existente in utroque Angelo: ergo circa naturalia Angelus superior illuminare potest inferiorem: ergo hic illum comprehendere non valet.

Hoc argumentum retorquetur ad hominem contra Ferre, cuius est: Tum, quia Angelus inferior, quando illuminatur a superiori circa naturalia, vel est de veritate, de qua Angelus superior prius illuminatur a Deo, in quo iuxta eius sententiam consistit rigorosa illuminatio; vel non? Si dicat primum, utique sequitur nec Angelum superiorem comprehendere a seipso, antequam a Deo illuminetur. Si vero hæc illuminatio a Deo facta Angelo superiori non impedit ad comprehensionem, que oblabit comprehensioni Angeli inferioris? Si dicat secundum, ut faceret num. 102. 1. opponitur sibi ipsi: siquidem concedit cum D. Thoma, quem libet Angelum cognoscere quidditative omnia, que pertinent ad hoc univversum, & consequenter omnia, que sive formaliter, sive eminenter sunt in Angelo superiori.

Tum etiam: nam ipse Ferre num. 1197. statuit pro conclusione, quod loquendo proprie de illuminatione, circa ea, que omni gratia conclusa ab Angelis valent cognosci, non datur inter eos illuminatio. Quod suadet hac ratione: nam cuiuslibet Angeli datum est immediatè a Deo lumen naturale comprehensivum omnium rerum, que cognitione naturali possunt cognosci: insuper datur ei species representativæ omnium naturalium existentium in hoc univverso: his autem duobus principiis potest quilibet Angelus omne ens naturaliter cognoscibile se plenè cognoscere, quod nulla formalitas, nullusve modus eum lateat: ergo de naturaliter cognoscibilibus ab Angelis non datur propria illuminatio inter eos. Et cum sibi obiecisset illa duo testimonia nobis obiecta, interpretatur illa non de illuminatione rigorosa, sed de alia late accepta, que coincidit cum locutione; atque, quod solum de naturalibus, que viribus nature Angelus nequit percipere, Angelus superior prius illuminatus a Deo illuminat inferiorem, ut circa futura libera & possibilia, que non continentur in virtute causarum naturalium pertinentium ad hoc univversum. En quomodo respondet ad obiecta, que nobis nunc opponit, &

cum

cum eius doctrina nos etiam respondemus, quin sit necesse aliquid aliud addere præter interpretationem auctoritatum D. Thomæ.

97 Ad primam respondetur, D. Thom. esse concedat illuminationem posse fieri inter Angelos de his, que pertinent ad statum naturæ, intelligi de futuris liberis, & possibilibus naturalibus, que non continentur in virtute causarum naturalium pertinentium ad hoc univversum, quod, ut ex se patet, non impedit comprehensionem Angeli inferioris relate ad superiorem. Ad secundam respondetur, Div. Thomam non debere intelligi de illuminatione rigorosa circa naturalia, que sunt partes huius univversi, sed de illuminatione minus rigorosa circa illa, alias Deum superior illuminaret circa ea Deum inferiorem, cum habeat perfectius lumen naturale & universaliores species: cuius oppositum docet Div. Thomas infra quest. 109. art. 3. vbi ait: *Diendum, quod in demonibus non potest esse illuminatio proprie.* Propterea in auctoritate nobis opposita addit D. Thomas, *licet non completè, quâsi dicat (ut interpretatur Ferre) non proprie.* Contra istam solutionem objicit Ferre aliquas impugnationes, quas omitimus: Tum, quia ex dictis facile enodantur; Tum, quia æque militat contra arguentem, ut ex dictis constat.

III. *Ultimum argumentum.*

98 Arguitur quarto: Nam magis distat ab intellectualitate Angeli inferioris intelligibilitas substantie superioris, quam intelligibilitas specierum in ipso Angelo superiori existentium; sed Angelus inferior nequit comprehendere species Angeli superioris: ergo nec Angelum superiorem. Maior videtur certa: quia maior est intelligibilitas ipsius substantie, quam intelligibilitas specierum; cum illa sumat originem ab ipsa substantia, & propter quod emanatque tale, & illud magis. Minor vero probatur ex D. Thoma quest. 106. de Malo art. 5. vbi ait: *Species intelligibiles superioris intellectus sunt univversales; & ideo non possunt comprehendere per species intelligibiles inferioris intellectus.*

Hoc argumentum nostro iudicio retorquetur: evidenter ad hominem contra Adversarios. Primum: Nam Angelus superior comprehendit seipsum, & tamen per cognitionem, qua seipsum comprehendit, non cognoscit quidditative suas species in esse representativo, sed ad tantum in esse entitativo, alias per suam substantiam cognosceret omnia, ut contra nos arguunt Adversarii. Secundo: Species supernaturales Angeli inferioris vel sunt comprehensivæ specierum supernaturalium Angeli superioris, vel non? Si

Pap. Th. col. Salim. Tom. II.

comprehendat superiorem? dicatur primum: ergo per species rands univversales possunt comprehendere species univversales. Si dicatur secundum: ergo iam comprehendit in eorum sententia gratias & scientias, est magis actualis, quin comprehendatur species. Quare ergo dicit non poterit idem de speciebus naturalibus? Vnde in omnium sententia hoc argumentum solvendum est.

99 Ad hoc argumentum, prætermis alijs solutionibus, quas tradunt, & perdocte propugnant N. Salmant. in præf. a num. 89. respondetur permittendo pro nunc mai, si intelligatur de excessu materiali & peraccidens se habenti; & concessa minori propter testimonium D. Thomæ, negatur consequentia. Pro quo notandum est, præter convenientiam in immaterialitate hic explicatam triplicem conditionem requiri ad comprehensionem strictam. Prima est, quod supposita convenientia in eodem gradu immaterialitatis, fundet cognoscibilitatem & intellectualitatem, non vero appetibilitatem & appetitum. Ex cuius defectu voluntas licet conveniat in eodem gradu immaterialitatis cum sua radice, & eius intellectu, obiecto que cognoscibili, non tamen illum comprehendit, imo nec illum cognoscit, quia in ratione cognoscibilis est extra obiectum adequatum voluntatis.

Secunda est, quod est fundet cognitionem, omne autem, quod pertinetur ad prædictum gradum, contineatur intra obiectum proportionatum cuiuslibet potentie pertinentis ad eundem gradum. Defectu cuius, licet omnes sensus exteriores pertineant ad eundem gradum immaterialitatis tam inter se, quam cum obiecto sensibili, non tamen quisvis sensus externus potest comprehendere, imo nec cognoscere quodlibet sensibile externum, ut patet in potentia visiva, que nequit sonum percipere, quia ille gradus non est ita perfectus, ut quævis potentia ad illum spectans respiciat ut proprium obiectum omne id, quod pertinet ad prædictum gradum. Contrarium convenit intellectui, qui habet pro obiecto adequato ens in tota sua latitudine.

Tertia est, quod cognitio sit vna & simplex, & eliciatur per vnicam tantum speciem: nam si obiectum cognoscat per pluribus cognitionibus, ita ut pars obiecti cognoscat per vnam, & pars per aliam, non erit stricta comprehensio, de qua in præfenti. Similiter vnicum obiectum tantum petit vnicam speciem, quia si in se est indivisibile, per vnicam tantum speciem reddi debet intelligibile. Sicut si obiectum esset productivum speciei sui comprehensivæ, necessario hæc debebat esse vnica, quia ab obiecto simplici nequit disjungi, nisi vnicam speciem. Species ergo, que immediate producit a Deo, qualis est Angelica, si est comprehensiva, debet esse adinstar illius; vel si hoc non potest esse, debet esse amplior quam ipsum obiectum.

Cc a

Ex

100 Ex his iam constat tota ratio differentiæ inter substantiam Angeli superioris & eius species, quare nimirum, eisdem substantia possit comprehendi ab inferiori, secus vero species illius: quia ex una parte substantia inferioris & eius intellectus conveniunt in eodem gradu immaterialitatis cum substantia Angeli superioris, licet hoc habeat supra illam aliquem excessum de materialitate habentem: & ex alia unica species sufficit adhuc in sententia Adversariorum ad illam representandam, & ob defectum huius ultimæ conditionis nequit comprehendere speciem Angeli superioris, alias species inferioris esset æque universalis ac species superioris. Quod particulare potest exemplum speciei infusæ supernaturalis, & scientiæ infusæ, & gratiæ: nam quia gratia & scientia unica specie representantur, & unica cognitione cognoscuntur, possunt comprehendi, & defecto comprehenduntur à scientia infusæ supernaturali Angeli inferioris adhuc secundum illum excessum maioris intensiōis & actualitatis, quem habet in Angelo superiori. Species vero supernaturalis Angeli superioris, quia est universalior, nequit per unicam speciem inferioris representari, & ideo nequit comprehendi.

101 Nec contra hoc obest, si objicias *primò* cum Ferre, quod species Angeli superioris convenit in eodem gradu immaterialitatis cum intellectu Angeli inferioris. ¶ Non (inquam) obest: quia ultra convenientiam in gradu immaterialitatis & illam duplicem conditionem assignatam, requiritur hæc tertia, quæ quia non habet locum in specie Angeli superioris, bene verò in eius substantia, propterea Angelus inferior potest comprehendere eius substantiam, secus vero eius species.

102 Nec obest, si objicias *secundò*, ex hoc sequi Angelum infimum non comprehendere omne ens naturale. ¶ Nec hoc etiam obest: quia esse omne ens naturale prout distinctum ab intellectu intelligibili possit comprehendi, & hoc non collectivè, sed disjunctivè sumptum, non verò omne ens intelligibile. Nec de hoc loquitur D. Thomas, quando de hoc agit, imò illud excipit, ut constat ex verbis in argumento allatis.

103 Nec obest, si objicias *tertiò*, hanc solutionem non coherere cum ratione probativa nostræ conclusionis, ubi ad comprehensionem, alicuius objecti sufficere diximus, quod cognoscatur quiddam formaliter, & virtualiter est in illo. ¶ Nec hoc obest: quia hoc debet intelligi, quando omnia attinguntur per unicam cognitionem, vel saltem per plures simul. Vtrumque deficit in Angelo inferiori respectu speciei superioris: nam nec illam cognoscit per unicam cognitionem, ut ex dictis constat; nec per plures simul, ne dicatur intelligere plura

ut plura. Unde estò demus gratis, posse aliquod obiectum pluribus cognitionibus comprehendere, hoc non debet intelligi lucetivè.

104 Nec obest, si dicas *quartò*, non coherere comprehensionem essentia sine comprehensione accidentium sibi debitorum, qualia sunt species intelligibiles. ¶ Non (inquam) obest: nam ex comprehensione essentia totum inferitur, quod cognoscitur, & comprehenduntur accidentia, quæ dimanant per modum passionis ab ea, non vero ea, quæ ab extrinseco illi adveniunt; & hoc modo se habent species in Angelo, ut diximus dub. 2. §. vitim.

105 Nec obest, si dicas *quintò*, non esse, cur species Angeli superioris nequeat representari per unicam speciem Angeli inferioris, & ita si non est per illam comprehensibilis, non erit ex defectu huius tertie conditionis, sed ex defectu omnimodæ convenientiæ in immaterialitate. Assumptum probatur: nam si propter aliquam rationem non esset representabilis per unicam speciem Angeli inferioris, maxime quia hæc esset æque universalis ac illa, sed hoc est falsum: quia hæc species non representaret quidditative obiecta representata per speciem Angeli superioris: sicut species representans visionem beatificam non representat quidditative eius obiectum, & in sententia, in qua visio beatifica producit verbum, daretur species creata representans quidditative hoc verbum, & non obiectum per illud representatum.

Nota (inquam) obest, propter notam disparitatem inter speciem & verbum cuiuslibet obiecti ex una parte; & visionem beatam ex alia: Visio enim beata non est similitudo formalis obiecti, nec præcontinet formaliter illud, sed tantum respicit illud specificativè extrinsece, sicut intellectio cuiuslibet alterius obiecti, & ideo non oportet, quod species representans visionem representet quidditative eius obiectum. Cæterum species continet formaliter in esse representativo naturam sui obiecti per illam representati, cum sit representatio formalis illius; ideoque si unica species daretur in Angelo inferiori representans speciem superioris, etiam representaret obiecta per eam representata, ac proinde esset æque universalis. Et hæc ratione repugnat, quod unica species Angeli inferioris representet speciem Angeli superioris.

DUBIUM VI.

Utrum Angelus possit naturaliter cognoscere futura libera, & secreta cordium.

106 Nota *primò*, futura, iuxta dicta in nostro tractatu de Scientia Dei, alia esse necessaria, & alia libera seu contingen-

tia. Et rursus futura libera alia esse libera soli Deo, & alia libera creaturis. Et tandem hæc futura alia esse entitative supernaturalia, & alia entitative naturalia. Nota *secundò*, cognitionem esse in duplici differentia: alia enim est entitative supernaturalis elicitæ per virtutem aliquam supernaturalem, & aliquando media specie supernaturali; & alia naturalis, quæ per oppositum elicitur à virtute & specie naturali.

Pro quo supponimus *primò*, Angelum cognoscere certò vi sua naturali futura necessaria naturalia, quæ necessariò sequuntur aliquam causam naturalem, ut eclipses, cursus planetarum, & alia huiusmodi. Quod faciliè ostenditur: nam Angelus cognoscit comprehensive omnes causas naturales, & determinationem necessariam, quam habent ad suos effectus: ergo in prædictis causis cognoscit certò eventus futuros necessarios. Adverte tamen, hoc non intelligi de certitudine metaphysica: quia nulla causa creata est adeò necessitata ad effectum futurum, quod per potentiam Dei absolutam nequeat impediri; & ob hæc rationem nequit futura necessaria infallibilitate metaphysica cognoscere.

Supponimus *secundò*, posse Angelum media aliqua cognitione supernaturali certò cognoscere futura libera, si vè pendente à voluntate creata, si vè à sola voluntate divina: quia Christus media scientia supernaturali infusæ, & plures Sancti & Prophete media revelatione seu dono prophetiæ certò ea noverunt. ¶ Supponimus *tertiò*, Angelum vi sua naturali non posse cognoscere certò futura libera supernaturalia: quia hæc adhuc existentia petunt cognitionem supernaturalem.

Supponimus *quartò*, futura libera à causis creatis dependentia posse ab Angelo cognosci cognitione aliqua coniecturali, quia ex aliquibus indicijis probabilibus potest moveri ad cognoscendos eventus futuros, sicut nos non raro eos prænosceimus. Unde difficultas totum procedit de cognitione certa naturali futurorum contingentium naturalium. Hæc desuntur.

Nota tandem circa secreta cordium, nomine *secreti cordis* intelligi præcipue actus voluntatis creatæ liberos, & nullo modo manifestos, vel per revelationem divinam, vel per directionem illos elicientis, vel per aliquid signum externum, licet minus principaliter etiam intelligantur actus intellectus & appetitus sensitivi, ut pendente ex libera applicatione voluntatis: quia sine vlla controversia Angelus certò cognoscit actus intellectus & voluntatis, qui sunt omninò necessarii, ut cognitio & amor, quibus alius Angelus cognoscit & amat seipsum, & Deum autorem naturalem: & quando illos eliciens dirigit ad alium Angelum, vel manifestantur per aliquid signum externum intalibilibiter connexum cum actu interno, vel si

Deus illos revelat, vel tandem media scientia infusæ supernaturali, ut in Christo. His suppositis,

Prima conclusio circa futura libera.

107 **D**icendum est *primò*, Angelum viribus solius nature non posse certò cognoscere futura omnino libera. Hæc assertio nostro iudicio est de fide (quidquid dicant aliqui) cum constat manifeste ex sacra pagina. Unde in illam conspirant non solum Catholici, sed etiam heretici, paucis Philosophis antiquis exceptis: sive varis Astrologia fidentibus.

Et probatur *primò* nonnullis testimonijs sacre paginæ, ut ex illo Isaia 41. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & scietis, quod Dixi estis vos. Et cap. 46. Nec est similis mihi: annuntians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ non dum facta sunt.* Alia plura testimonia tam sacre Scripturæ, quam SS. PP. congerunt N. Salm. in præf. disp. 7. dub. 4. ubi possunt videri.

108 Deinde probatur ratione: nam Angelus nequit certò cognoscere futurum liberum in aliqua causa, aut in seipsis; ergo nequit ea certò cognoscere. Antecedens quoad primam partem probatur: Nam causa naturalis adæquata talis futuri est omninò indifferens ad esse, vel non esse illius: ergo futurum vè certè habiturum existentiam pro tempore futuro nequit in ea cognosci. Consequentia probatur: Tum, quia in causa indeterminate nequit cognosci effectus determinatus: Tum etiam: quia in causa indifferenti ad vtrumque extremum contradictionis non est ratio, quare magis cognoscatur certò esse, quam non esse illius. Tum denique: quia ex antecedenti omninò indifferenti ut tali nequit deduci conclusio determinata: ergo neque in causa indifferenti ut tali potest certò cognosci effectus determinatus.

Deinde probatur quoad secundam partem: Nam ad hoc ut futurum cognosceretur in seipso, erat necesse, quod haberet existentiam exercitam in se, vel quod existeret in natura propria cognitionis Angelicæ; neutrum dici potest: non primum, ut supponitur: nec secundum, quia existeret in natura aliena est proprium æternitatis, et essentiam: ergo neque potest certò cognosci ab Angelo in seipso.

Explicatur hoc: Nam quod nullo modo est determinatum ad esse, nequit certò cognosci ut habiturum existentiam; sed futurum liberum nullo modo est determinatum ad esse: ergo non potest certò cognosci. Maior liquet. Et minor probatur: nam futurum liberum solum potest esse determinatum ad esse, quatenus est

sit in seipso iuxta propriam mensuram, vel iuxta mensuram superiore: nam id, quod non est determinatum in causa, solum potest esse determinatum ad esse per hoc, quod existit in seipso, vel in mensura superiori, iuxta illud axioma, *Omne quod est, ex suppositione quod sit, necesse est esse*; sed futurum liberum nec existit in seipso, ut supponitur: nec existit in mensura Angelis, quia est finita & limitata: ergo.

109 Hinc rationi fundamentali potest responderi dicendo, ex ea tantum sequi, Angelum non habere notitiam intuitivam futuri, quod verissimum est, cum non attingat illud ut exercite existens, ob quam rationem adhuc Christus nequit cognoscere intuitive futura. Sed cum hoc fiat, quod Angelus notitia certa abstractiva cognoscat futurum liberum, ad quam non parum iuvat species, quam de illo habet ab initio sui esse. Sic Christus per species infinitas, quas habuit ab initio suae conceptionis, habuit notitiam certam, etiam abstractivam, futurorum.

Sed contra est: Nam species naturalis Angelis est representet futurum sub ratione cuiusdam quidditatis possibilis, non vero representat illud quoad existentiam prout exercendam in tempore determinato: ergo licet Angelus naturaliter cognoscat futurum sub ratione quidditatis possibilis, nequit tamen certo illud cognoscere ut habituram existentiam in hoc tempore determinato potius quam in alio. Antecedens probatur: nam species angelicae sunt tantum participationes virtuales idearum, quas Deus habet de hoc universo, ut perpetuo docet D. Thomas: ergo solum representant ea, quae sunt actu partes huius universi, vel continentur determinate in causis, quae sunt partes huius universi: Iam sic; sed futura libera nec continentur determinate in causis; quae sunt partes huius universi, ut supponitur, nec actu sunt in seipsis partes huius universi, ut constat: ergo species angelica non representat futura quoad eorum existentiam, prout exercendam in tempore determinato.

Confirmatur hoc: Nam essentia divina pro priori ad aeternitatem, & decretum divinum licet representet futura, pro ut sunt quaedam quidditates possibilis, nequit tamen ea representare quoad existentiam exercendam in tempore determinato: non alia ratione, nisi, quia in se non sunt existentia, nec determinata ad existendum in aliqua causa: ergo potiori titulo quamvis species angelica representet futura, quae postea existura sunt, sub ratione quidditatis possibilis, nequit tamen ea representare sub exercitio existendi in tempore determinato.

110 Nec praedicta evasioni favet exemplum de speciebus Christi: nam vel intelligitur de speciebus deservientibus scientia infuse naturali, vel de speciebus deservientibus scientia

supernaturali? Si dicatur primum, idem fatendum est de illis, ac de angelicis, secluso omni principio supernaturali. Si dicatur secundum, fatetur representare futura etiam quoad statum exercendum in tempore determinato: & de servitque ad notitiam certam illorum quoad hunc statum; sed hoc est, quia sunt entitative supernaturales: & ob hoc idem dicendum est de speciebus supernaturalibus angelicis, quae deserviunt eorum scientia infusa supernaturali dimananti a scientia beata. Per quod magis roboratur nostra doctrina: nam aliquid tribuendum est speciebus supernaturalibus Christi & Angelis, quod non habeant species naturales virtuales; sed utrumque genus specierum convenit in hoc, quod representat futura, & eorum existentiam per modum cuiusdam quidditatis possibilis: ergo praeter hoc species supernaturales representare debent exercitium practicum existendi pro tempore determinato, & quae deserviant ad notitiam certam abstractivam huius exercitii.

Roboratur hoc: Nam hoc, quod est representare immediate in seipsis futura quoad statum exercendum in suo tempore, est praedicatum participabile a creatura, cum haec formalitas sit quid creatum, verum, & cognoscibile; at quia pertinet ad attributum speciale Dei, nempe ad scientiam divinam, & ad eius existentiam ut representantem futura quoad eorum existentiam exercendam pro suo tempore; rationabile est, quod participet non a quibusvis speciebus, sed ab eis, quae supremum locum obtinent inter species creatas, quales sunt supernaturales: ergo.

Adde primo: quia praedicatum hoc in Deo est quid supernaturale: ergo potest & solum debet participari ab aliqua entitate supernaturali, qualis est species supernaturalis. Adde secundo: quia est repugnans huiusmodi species supernaturales, adhuc requiritur aliquod principium supernaturale ad cognoscenda huiusmodi futura, videlicet divina revelatio; qua revelantur extra verbum, & ad quam cognoscendam debet communicari aliquod lumen supernaturale, quo cognoscitur evidenter praefata revelatio, & ex consequenti quod futura habitura sunt existentiam pro tempore futuro, ut contingit in Prophetis: ergo secluso omni principio supernaturali nequit Angelus per species naturales cognoscere futura ut futura.

* * * * *

S. II.

Secunda conclusio circa secreta cordium.

111 Dicendum est secundo, Angelum non habere virtutem naturalem ad cognoscenda secreta cordium naturalia. Hanc conclusionem patet edocet Scriptura facta, ex qua vnum vel alterum testimonium adducemus: nam 2. Paralip. 6. dicitur *Tu solus nosti corda filiorum hominum*. Et Ierem. 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes*. In qua locum Hierony. *Nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus Deus*.

Nec refert, si dicas primo cum Scoto in 4. dist. 45. quae 4. ad 2. haec & alia testimonia intelligi de omnibus profus cordium secretis praesentibus, praeteritis, & futuris, & ex propria perfectione, adeo ut impossibile sit impediri, quin ea cognoscant. Non (inquam) refert: nam imprimis facta Scriptura, & Patres non solum indicant esse proprium Dei cognoscere omnia cordium secreta, sed etiam cognoscere praesentia: ergo contra Scripturam, & PP. agit Scotus, dum asserit, Angelum cognoscere secreta cordium praesentia. Deinde Scotus docet, Angelum vi sua naturali posse, addito concursu Dei naturalis, cognoscere secreta cordium praesentia; sed idem est habere ex sua natura virtutem naturalem ad ea cognoscenda, ac ea cognoscere ex propria perfectione; alias non posset dici, quod ex propria perfectione cognoscit alia obiecta, quae naturaliter cognoscit: ergo vel non est proprium Dei cognoscere secreta cordium ex propria perfectione, vel negandum est Angelum cognoscere ea propria virtute naturali. Tandem: quia si esset proprium Dei cognoscere secreta cordium, quia non potest ab alio impediri, pariformiter esset proprium Dei cognoscere alia obiecta, quia nulla est creatura, quae non possit impediri ab eorum cognitione, ut si denegetur ei concursus communis; hoc est falsum, ut ex se liquet: ergo.

112 Nec refert, si dicas secundo cum eodem Scoto, sensum Scripturae, & PP. tantum esse, quod est proprium solius Dei noscere secreta cordium per modum iudicis universalis, quo modo Angeli nec boni nec mali possunt ea cognoscere. Non (inquam) refert: Nam dum Scriptura, & PP. circa cordis secreta singularem Dei scientiam exaggerant, non tantum minus iudicis, sed etiam vim cognoscendi commendant. Unde D. Hieronym. Ierem. 17. ex illis verbis Matth. 9. *Cum vidisset Iesus cogitationes eorum, sic argumentatur: Iesus videt cogitationes, & nullus potest internas cogitationes*

videre, nisi solus Deus: ergo Christus est Deus; sed hoc deducit ex sola & simplici secretorum cognitione, non autem ex iudicialia: ergo iuxta Scripturam, & PP. non solum est proprium Dei cognoscere cordium secreta per modum iudicis universalis, sed etiam absolute.

113 Probatur ratione fundamentali Div. Thomae in hac 1. part. quae 57. artic. 4. ad quam aliae rationes illius, quas adducit alijs in locis, possunt reduci. Nam actus liberi, creati, & omnino occulti tantum subduntur Deo, & supposito illos elicienti: ergo nulla alia creatura valet naturaliter & certo eos cognoscere. Probatur consequentia: nam si Angelus posset cognoscere eos, haberet quoddam dominium supra illos: ergo si nulla creatura haberet dominium, nequit naturaliter eos cognoscere. Probatur antecedens: Tum, quia habens potestatem cognoscendi pro suo libito actus alterius, est quoddam genus dominij supra tales actus: sicut habere potestatem videndi pro suo libito bona occulta in aliqua domo, est quoddam genus dominij supra talia bona. Tum etiam, quia possit aliquem cognoscere pro suo libito actum liberum occultum alterius, impedit, quod eliciens talem actum exercet dominium & potestatem, quam habet ad occultandum talem actum; sed hoc explicat aliquod genus dominij ex parte cognoscentis, & subiectionem ex parte actus cogniti: ergo si Angelus cognoscit actus occultos alterius, exercet quoddam dominium supra illos.

114 Hinc rationi respondent Scotista, quod aliud est actus liberos voluntatis creatae subdi solum Deo, & illos elicienti in productione; & aliud subdi in cognitione: primum est verum, secundum falsum. Nec per hoc, quod huiusmodi actus subduntur cognitioni naturali alterius, tollitur absolutum dominium quoad produci, vel non produci, vel quoad conservari, & non conservari, quod habent Deus, & illos eliciens. Unde addunt communiter Recentiores Societatis, rationem D. Thomae non esse efficacem.

Sed qui ita respondent, revera non callent rationem D. Thomae. Itaque ut eius efficacia appareat, potest iterum instaurari in hunc modum: nam Angelus solum cognoscit naturaliter ea, quae a causis naturalibus solum dependent, aut cum eis connexionem habent; sed actus liberi voluntatis creatae non dependent a causis naturalibus, nec viliam cum ea connexionem habent: ergo Angelus nequit naturaliter noscere actus liberos voluntatis creatae. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: nam Angelus solum cognoscit ea, quae pertinent ad ordinem universi; sed actus liberi voluntatis creatae non pertinent ad ordinem universi, sed tantum ea, quae a causis naturalibus solum dependent, aut cum eis connexionem ha-

habent: ergo Angelus non cognoscit naturaliter actus liberos voluntatis creatae.

115. Maior probatur (deinde probanda est minor) Nam Angelus non habet species, nisi earum rerum, quae pertinent ad hoc uniuersum, vel earum, quae cum eis connexionem habent: ergo solum cognoscit naturaliter ea, quae pertinent ad hoc uniuersum. Antecedens, ex quo consequens legitime inferitur, expresse colligitur ex doctrina D. Thomae: nam in hac 1. parti. quest. 56. art. 2. ad 4. ait: Dicendum, quod Deus unquamque creaturam fecit: proportionatam uniuerso, quod facere disposuit. Et ideo si Deus instituisse facere plures Angelos, vel plures naturas rerum, plures species intelligibiles mentibus Angelicis impressisset: una de eiusdem rationis est, quod Deus adderet aliquam creaturam uniuerso, ac aliquam speciem intelligibilem Angelo: ergo iuxta D. Thomam, Angelus tantum habet species rerum, quae pertinent ad hoc uniuersum. Videatur insuper D. Thomae quodlib. 6. art. 19.

116. Deinde probatur minor, proponendo duo. Primum est, quod licet Deus sit prima causa huius uniuersi, non tamen est pars illius, sed supra illud: nam totum hoc uniuersum est ens per participationem, Deus autem ens per essentiam: sed ens per essentiam non est pars entis per participationem, sed supra illud: ergo Deus non est pars uniuersi. Secundum est, quod totum hoc uniuersum ita Deus concitauit, ut cause particulares dependere in suis operationibus a causis uniuersalibus: vnde si aliqua causa particularis faceret talis conditionis, & eminentiae, ut in sua operatione non dependeat, a causis uniuersalibus, sed a solo Deo, huiusmodi operatio proculdubio non pertinebit ad ordinem uniuersi.

His praenotatis probatur euidenter, nihil fallitur, illa minor: nam actus liberi voluntatis creatae sunt talis conditionis, ut non dependeat ab aliqua causa uniuersali creatae, sed a solo Deo, & ab eo, qui eos elicit, tanquam a causa particulari: ergo nullatenus pertinent ad ordinem uniuersi.

III. Argumenta contra primam conclusionem.

117. Contra primam conclusionem arguitur primò: nam Angelus cognoscit certò id, in quo apparent nunc expressa plura futura libera: ergo etiam potest cognoscere ipsa futura certò. Antecedens probatur: tum quia Angelus cognoscit certò celestes orbis; sed in illis apparent nunc expressa futura libera, ut constat ex illo Genes. 1. Fiat luminaria, ut sint in signa, & ut interpretatur Origenes, in signa futuri liberi. Et ex illo

Isai. 34. Complicabuntur caeli sicut liber, ubi significari videtur, quod adueniente finali iudicio non poterit in motu caeli legi aliquid futurum contingens, sicut nec legit potest, si scriptum esset in aliquo libro semper inuoluto: ergo nunc cognoscit poterit in eius motu futurum liberum. Tum etiam: nam in quodam libro, qui dicitur Narratio Ioseph, pro magno apud multos catholicos habito, ut refer Xillus Senens. legitur, Patriarcham Iacob ita locutum fuisse filiis suis: Legite in tabulis caeli quaeunque uentura sunt uobis, & filiis uestris. Tum denique: quia quilibet homo naturaliter cognoscit certo futura libera in lineis inanimatum, secundum illud Job 37. In manu omnium uentura signa, ut noverit singula opera sua.

Et confirmatur: Nam futura libera non superant vim cognoscendam hominis, vel Angeli: ergo possunt ab eis certò cognosci. Antecedens probatur ex magno Patente, August. lib. 12. super Genes. ad lit. cap. 13. ubi ait: quod anima hominis, quando abstrahitur a sensibilibus, potest praevidere futura, ut venire solet in phreneticis, & dormientibus. Quod explicatur exemplo quodam cuiusdam Advocati, qui (ut refert Greg. Magn. Dialog. 4. cap. 26.) iam proximus morti praedixit sepeliendum fore apud S. Xilium.

118. Adde primò: Nam, demon aliquando praedicit futura libera, & praedice facit hominibus ex suggestione illius. Adde secundò: quia diuinae per fortes contingere solet de futuris liberis, ut colligitur ex D. Thoma 2.2. quest. 95. art. 8. & 9. cap. 3. & 4. sed sic diuinae potest esse licitum, iuxta illud Psalm. 30. In manibus tuis fortes meae: ergo. Adde tertio: Nam pars Astrologiae, quae appellatur diuinatoria & iudiciaria scientia, laudabilis est, ut testatur Ang. Doctor 2.2. quest. 95. art. 5. sed praedicta pars Astrologiae attingit effectus futuros, liberos, qui proueniunt ex causis naturalibus impediabilibus: ergo.

118. Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem debet dici, quod luminaria caeli solunt sunt signa effectuum naturalium. Et sic interpretationem Origenis, ut erroneam, rejiciunt D. August. & D. Thom. Eodem modo debet rejici quilibet interpretatio super illud Isai. 6. si supponit certam praedictionem futurorum contingentium in caelo ante diem iudicij. Ad illud autem de libro, qui dicitur Narratio Ioseph, facile dicimus, quod est apocryphus, ut tradit D. Athanas. in sua Synopsi. Ad id etiam, quod de lineis manuum adducitur: respondetur, solum computari inter effectus causarum naturalium insinuantes diversas complexiones & conditiones naturales.

Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem ex D. An.

August. desumptam dicimus, animam hominis, siue sit morti vicina, siue alienata a sensibus, non gaudere virtute ad certò cognoscenda futura libera, sed hoc habere ex Dei reuelatione. Vel potest dici, quod cognoscere potest ea futura, ad quae celestis infusio directe vel indirecte habet inclinare, dummodo cognitio hac fit tantum coniecturalis. Per quod constat ad illud exemplum Advocati. Nam dum moriebatur, caelum insalabat maximam pluiam, ob quam coniecturabat corpus eius non ducendum fore ad locum a se dispositum, sed ad alium viciniorem.

Ad primum additamentum respondetur, demonem vel praedice futura ex reuelatione ipsius mediata facta, ut aliqua sibi reuelari testatur D. August. & D. Thomas 2. 2. quest. 172. art. 6. ad 1. vel praedice futura praecognoscens in illa in inclinationibus hominum, a quibus sunt scienda, & tunc non cognoscere illa certò, sed coniecturaliter, in quorum praedictione solet uti verbis aequiuocis, ut nunquam possit falsitatis argui. Ad secundam respondetur, quod si per fortes inquiratur in causis celestibus vel naturalibus, an eueniat aliquid futurum liberum, illicitum est, quia usus hic est superstitiosus. Si tamen per fortes non inquiratur, an res futura vicinate erit, sed praecise expectetur quid venturum sit, sicut Gedeon a Deo petijt signum in vellere ad cognoscendum, an per manus eius populus Israelis saluandus esset, hoc est licitum, ut inquit D. Thomas 2. 2. quest. 95. art. 8. si concurrant quatuor conditiones, quas Ang. Doctor ibi designat. Ad tertiam dicimus, partem Astrologiae, quae prognoscitur futura necessaria a causis naturalibus semper vel ut implurimum euenientia, esse veram scientiam, & ut talem approbat D. Thomas: partem verò Astrologiae, quae transit ad praedicta futura libera, esse superstitiosam, & ut talem damnatam a Sixto V. in suo motu proprio incipienti, Caeli & terra Creator Deus, & impugnatum a D. Thoma locis citatis.

119. Arguitur secundò: Angelus ab initio habet species omnium futurorum: ergo potest ea certò cognoscere in seipsis. Antecedens est certum in nostra sententia, quia Angelus non acquirit species successu temporis. Consequencia verò probatur: nam Angelus cognoscit certò omne id, quod actu representatur per species in ipso existentes; sed specie, quam Angelus habet de omnibus futuris, actu representat futura: ergo etiam illa certò cognoscit. Minor probatur: nam si non representaret actu futura, intrinsicè mutaretur: quia actu representare futurum non est denominatio extrinseca, in specie, sed perfectio intrinseca illius, ac proinde acquireret de novo hanc intrinsecam perfectionem, quod absque mutatione sui fieri non valet, sed hoc est expresse contra D. Thomam, quodlib. 7. art. 3. ad 2. & quest. 16. de Malo art. 7. Paul. Theol. Salm. Tom. II.

ad 13. ergo species, quam habet Angelus, actu representat futura.

Confirmatur primò: Nam futurum, antequam existat in re, iam existit intelligibi iter in specie Angelica: ergo Angelus cognoscens perfectè suam speciem, etiam cognoscit futurum intelligibi iter praesentem in ea: ergo & poterit certò cognoscere in seipso ipsum futurum. Haec vltima consequentia rectè deducit ex prima, & prima ex antecedenti: quia Angelus perfectè cognoscit sua accidentia: ergo si cognoscit speciem representativam futuri, etiam ipsum futurum.

Confirmatur secundò: Nam Angelus scit euidenter se non habere species naturales nisi earum rerum, quae aliquando erunt: ergo si cognoscit Antichristum secundum esse intentionale, cognoscit certò, quod Antichristus, qui nunc habet tantum esse intentionale, habebit aliquando esse verum & reale extra causas: ergo poterit certò formare hoc iudicium: Antichristus erit.

Confirmatur tertio: Angelus de rebus praeteritis habet notitiam certam: ergo etiam de rebus futuris. Antecedens patet, alias esset deterioris conditionis, quam homo, qui certò cognoscit praeterita. Consequencia probatur: nam idèd nequit certò cognoscere futura, quia non existunt in se, nec determinatè praesententur in causa; sed praeterita non existunt in se, nec multoties determinatè praesententur in causa: ergo si hoc non obstanti, Angelus certò cognoscit praeterita, etiam poterit certò cognoscere futura.

120. Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem dicimus, speciem angelicam non representare in actu secundo futura quoad exercitium existendi, quod habitura sunt in tempore determinato: quia ad hoc requiritur, quod actu existat in aliqua mensura, vel propria ipsius futuri, vel ipsius Angeli bene verum est, quod talis species representat unitatem futuri, necnon existentiam & durationem illorum; sed hoc debet intelligi per modum cuiusdam quidditatis possibilis praesentem in virtute causarum naturalium, secus vero quoad exercitium existendi, quod habitura sunt in hoc tempore potius quam in alio. Vnde solum potest inferri, quod Angelus cognoscit ea certò per modum cuiusdam quidditatis possibilis & in actu signato, non verò prout habitura sunt determinatè existentiam siue in suo tempore determinato, siue indeterminate. Nec ex hoc sequitur aliqua immutatio in specie, quando actu representat obiectum ut existens in suo tempore determinato. Nam, quantum est ex se, habet, quiddam requiritur ad actualem representacionem illius quoad exercitium existendi: ob defectum tamen actualis existentiae non representat illud